

GEORGIUS IODOCVS BERGANVS  
ad lectorem.

**A**strorum si nosse uias, cursusq; perennes,  
Sensaq; si breuium quæris ephemeridum:  
Si rapidi cœli uis scire uolumina, et hora  
Quæ noceat uotis, quæ sit amica tuis.  
Deniq; si quid agant quæris non nescia fati  
Sydera, quid uariant tempora, signa, gradus.  
Te docet exiguo Pitatus cuncta libello:  
Et monstrat geminis quæq; rotata polis,  
Adde quod horarum docet ut discrimina nocte  
Ostendant stellæ, Phœbus ut ipse die.  
Nonne Ioui hunc credis fulmen subducere, quando  
Venturæ sortis præscia corda facit?  
Ergo Conon cedat, cedat Milesia proles:  
Pitato Endymion se neget esse parem.

CATVLLI AVOGARII VERO  
nensis carmen.

Quod cœlum indulget rebus, quod tempus agentis  
Incumbit, quæ stant annua fata uiris.  
Quando erit effusis uenturus crinibus imber:  
Quæ mala falciferi, quæ bona certa Iouis.  
Plura alia è cœlo, quæ nunquam forsitan olim  
Detulit Vrania, scripta Pitata docent.